

Romuli, quam Numae, similes reges putabat fore, iturosque ipsos ad bella; ne sacra regiae vicis desererentur, flaminem Jovi assiduum sacerdotem creavit, insignique eum veste et curuli regia sella adornavit. Huic duos flamines adiecit: Marti unum, alterum Quirino. Virginesque Vestae legit, Alba oriundum sacerdotium, et genti conditoris haud alienum. His, ut assiduae templi antistites essent, stipendium de publico statuit: virginitate aliisque caerimoniis venerabiles ac sanctas fecit. Salios item duodecim Marti Gradivo legit, tunicaeque pictae insigne dedit, et super tunicam aeneum pectori tegumen: coelestiaque arma, quae ancilia appellantur, ferre, ac per urbem ire canentes carmina cum tripudiis solenniique saltatu jussit. Pontificem deinde Numam Marcium, Marci filium, ex Patribus legit, eique sacra omnia exscripta exsignataque attribuit; quibus hostiis, quibus diebus, ad quae templa sacra fierent, atque unde in eos sumptus pecunia erogaretur. Cetera quoque omnia publica privataque sacra pontificis scitis subiecit: ut esset, quo consultum plebs veniret; ne quid divini juris, negligendo patrios ritus, peregrinosque asciscendo, turbaretur. Nec coelestes modo caerimonias, sed justa quoque funebria placandosque Manes, ut idem pontifex edoceret; quaeque prodigia, fulminibus aliove quo visu missa, susciperentur atque procurarentur. Ad ea elicienda ex mentibus divinis, Jovi Elicio aram in Aventino dicavit, deumque consuluit auguriis, quae suscipienda essent.

CAPUT XXI.

Ad haec consultanda procurandaque, multitudine omnia vi et armis conversa, et animi aliquid agendo occupati erant, et deorum assidua insidens cura, quum interesse rebus humanis coeleste numen videretur, ea pietate omnium pectora imbuerat, ut fides ac jusjurandum, proximo legum